

ANTIDOTUM CONTRA NAUFRAGIUM FIDEI ET BONÆ CONSCIENTIÆ.*

[DEDICATION.]

VIRO INSIGNI,

TUM PIETATE TUM ERUDITIONE PRÆCLARO, REVERENDISSIMO

Do. Do. JOAN. ARROWSMITH,† D.D., S., STÆ.

ET INDIVIDUÆ TRINITATIS COLLEGII APUD CANTABRIGIENSES PRÆFECTO,

HANC CONCIONEM AD CLERUM.

L. M. Q. D. D.

N. W. G.‡

* This ‘Concio’ is the only specimen of Sibbes’s Latinity extant. It was published in a tiny volume in 1657, which is excessively rare. Its title-page is as follows:—‘Antidotum Contra Naufragium Fidei & Bonæ Conscientiæ. Concio Latine Habita Ad Academicos Cantabrig. in Ecclesia S. Mariae 9 die Octobris, 1627. Authore Rich: Sibbs, S. S. Th. D.D. & Aulæ Catharinæ Præside. Londini, Excudebat J. G. pro Nath: Webb & Guliel: Grantham apud signum nigri Ursi in Cœmeterio Paulino. 1657.’ If the Latinity, with mosaic of Greek, be somewhat rude, this ‘Concio’ is yet a piece of vigorous high-toned Protestantism, much needed in these days of lukewarmness.

† It were superfluous to annotate a name so eminent as that of Dr John Arrowsmith. He died in 1659. Cf. Brook’s Lives of the Puritans, vol. iii. pp. 315–318, and every history of Puritanism.

‡ These initials probably represent the publishers Nathaniel Webb and William Grantham, the W being used for the surname of the former and the Christian name of the latter. G.

ANTIDOTUM CONTRA NAUFRAGIUM FIDEI ET BONÆ CONSCIENTIÆ.

Custodi præclarum depositum per Spiritum Sanctum habitantem in nobis.—
2 TIM. I. 14.

SANCTAM animam Deo jam brevi redditurus Paulus, et cœlo proximus, Timotheum filium instruit in iis quæ et ipsi et ecclesiæ usui essent. Cum autem salva doctrina salva sint omnia, urget curam ὑποτυπόσεως sacrorum verborum, quam ut fortius premat, repetita hortatione, sed aliis verbis utitur, ‘custodi depositum,’ &c. Scriptura cum τὸ ἀντὸ λέγει οὐ ταυτολογεῖ, quasi dixisset, tu, mi Timothee, mihi (ad cœlestis vita præmia evocato) superstes futurus es, hoc unum in votis est, ut depositam a Christo doctrinam custodias; prævideo tempestates, sed ne succumbas, præsto erit Spiritus in subsidiis.

In his verbis tria spectanda,

1. Commendatum.

2. Mandatum.

3. Argumenta vim addentia.

Ex parte objecti depositum est, ex parte adjuncti præclarum, ex parte subjecti, juvabit Spiritus: Depositum est, ut jure debeas; præclarum est, ut libenter velis; juvabit Spiritus, ut facile possis.

Quid ergo reliquum est (mi Timothee) nisi ut custodias præclarum depositum, per Spiritum sanctum habitantem in nobis?

Primo vobis considerandum est quid sit depositum, et qui sint depositarii.

Quadruplex depositum Timotheis omnibus committitur.

1. Populus Dei ipsius sanguine redemptus.

2. Munus docendi.

3. Dona ad docendum idonea; qui dedit homines dedit dona hominibus.

4. Ipsa doctrina salutis, pabulum vite, quam cum Tertulliano hic præcipue intelligimus depositum.

Bellarminus per depositum intellexit traditiones non scriptas (*a*); sed facessat illa sententia, siquid enim Paulus tradidit, a Christo prius accepit, 1 Cor. xv. 3. At papales traditiones spuriae sunt, incerto patre natæ. Recte Hieronimus contra Helvidium, ‘Credimus quia legimus, non quia non legimus’ (*b*). Audiat apostolum vœ ipsis angelis fulminantem, siquid præter tradiderint, Gal. i. 8. Nobis ergo depositum sit sacra doctrina, quæ aut matrix omnis doctrinæ ipsa scriptura, aut articuli fidei ex scripturis deducti, aut corpus doctrinæ articulis fidei consonum, ex scripturis concinnatum; quales sunt confessiones fidei ecclesiarum.

Antequam ostendam quinam sunt depositarii, quatuor hæc fundamenti loco præmittenda.

1. Esse aliquod depositum; hæc enim connexa sunt, Deus, homo, reli-

gio, revelatio, unde fundetur religio. Deus enim ex suo præscripto coli vult, non nostro.

2. Esse hoc depositum unum, licet articuli sunt multi, corpus tamen unum; extra fidem est quicquid extra unam fidem. *Hillar.*

3. Esse scriptum hoc depositum. Traditio enim non tutus est tradendi modus: licet natura Dei innotescat aliquatenus ex creaturis, ex scripto tamen debet constare de voluntate.

4. Esse aliquem cætum qui custos sit hujus depositi, quem ecclesiam vocamus, quam vix melius definieris, quam quod sit custos præclari hujus depositi per Spiritum sanctum habitantem in ea.

Ambigitur inter nos et pontificios, quinam sint meliores fidei depositarii. Nos eos reos agimus coram toto mundo multipliciter violati depositi; multa addiderunt, ut nova sacramenta, novos articulos fidei, novam formam jura menti annexam concilio Tridentino: multa detraxerunt, poculum e cœna, &c., multum transmutarunt, sacramenta in sacrificia, præcepta in consilia, regimen ecclesiæ in visibilem monarchiam. In multis depravarunt doctrinam fidei, pœnitentiæ, clavium; quid non, excepta doctrina de Trinitate, ab istis Harpiis foedatum? Quod ad sacrum codicem spectat, dandum est eos aliquatenus custodire; custodiunt, sed in versione varie corrupta; in sensu violento, quem vi inferunt, non auferunt. At verba vagina tantum sunt, sensus est gladius; custodiunt, sed in lingua plebi ignota, cum scriptura sit publici juris. E re sua esse norunt populum non nimis sapere: Sit veritatis cursus liber, et liceat populo credere quantum ei persuaderi potest ex literis fidei, et brevi videbimus ipsam Hispaniam et Italiam aequa orthodoxam atque est ipsa Anglia. Custodiunt, sed aliis non sibi; non suo, sed latentis apud eos ecclesiæ bono. Custodiunt ut fures, quod non suum. Custodiunt sibi, sed in crucem; consumit enim eos Christus non tam ore gladii, quam hoc gladio oris sui. Custodiunt, sed adjungunt alios custodes ne noceat, ut traditiones et Apocrypha. Alias sibi metuunt ab hoc deposito ut rebus suis inimico. Magno redemptum vellent nullum esse depositum; quando hoc consequi non possunt, conantur omnibus modis delumbare scripturas. Sed κρίτης sanæ doctrinæ nonnihil perpendamus, ut hinc iudicium fiat penes quos sit depositum.

1. Quæ a Deo est doctrina fontem malorum ostendit, mysterium latentis vitiositatis recludit; peccatum enim impedit sui ipsius cognitionem. Quam dilute de hoc sentiunt papistæ, satis notum est. Sana hujus articuli doctrina peculiaris ecclesiæ, sensus piis in ecclesia.

2. Doctrina a Deo inspirata conscientiam pacat, vim habet quietativam (ut alia taceam), in agone luctantis conscientiæ; a doctrina justitiæ Christi nobis imputatae quanta menti serenitas! Hanc justitiam ut supra angelicam, utpote Christi Θεανθρώπου ipsi infenso Deo opponimus. Hac freta fides paterna Dei viscera introspicit, et ut lyncei ei sunt oculi, cernit post nubila solem. Pura doctrina est instar maris vitrei prælucidi, in quo benignam faciem Dei in Jesu Christo cernimus. Aurum verum dignoscitur a chymico, quod verum confortat cor, Ps. xix. 10. At pontificii pavidis conscientiis inextricabilibus casibus cruces erigunt. Locustæ illæ cruciant animos non satis edoctos ex verbo.

3. Vera doctrina congrua est nature ipsius Dei, qui spiritus est, et in spiritu coli vult. At papistica quid aliud quam farrago ineptiarum? Indignissime de Deo sentiunt, quem his crepundiis se posse demereri putant. Vera religio conjungitur cum vera sapientia.

4. Quæ desuper est sapientia casta est, pacifica, &c. [Jac. iii. 17.] Id est, tales præstat homines qualis ipsa est, non parricidas et æquivocos

impostores, quales papæ pleni vel ex parricidalibus doctrinæ principiis, etiam reclamante genio, seipsis facti deteriores. Qui quintessentiam papisticæ doctrinæ hauserunt, ut nec Deo fidem, sic nec principi fidelitatem servant. Christi cognitio mutat non homines in leones, sed leones in homines.

5. Ex antipathia inter sapientiam carnis et mundi, et cælestem veritatem, liquet quæ sit vera religio. Ejusmodi est qualis inter medicinam et peccantes humores. Hæc est indeoles cælestis doctrinæ, ut nunquam energat non fremente Sathanæ et suis, quia vagis animi cupiditatibus frænum injicit; unde quo quisque impurior est, eo infensius odit veritatem. Veritas odio est (ut Lactantius) ob insitam austерitatem (*c.*). At pontificii religionem excogitarunt naturæ gratam, rebus suis aptam, hominibus dementandis idoneam. Norunt apud ambitiosos honorem, apud avaros lucrum, apud dissolutos libertatem, apud superstitiones ceremoniarum larvam valere. Hinc tot alicia, et auctoramenta apud eos, quibus sibi devinctos reddunt homines, ut non mirum sit, si de numero glorientur.

6. Ex consanguinitate cum apostolicis ecclesiis et doctrina constat quæ sit fides semel tradita; hic illud valet, ‘*prior tempore, potior jure.*’ Sed veritati non præscribitur a doctrina nudiustertius inventa, de mendacio præjudicanda est quæ sapit adversus semel traditam. At si Romam in Roma quærimus, frustra erimus; ‘quomodo fidelis civitas facta est meretrix!’ [Isaiah i. 21.]

Consensus universalis omnium ecclesiarum, etiam ipsius papanæ, qua aliquid sani retinet. Quæ enim unquam ecclesia non agnovit positiva nostræ ecclesiæ dogmata? Docemus scripturam esse regulam fidei, esse legendam, fide nos justificari, Christum esse mediatorem, Deum esse invocandum. Annon ipsi patres, annon ipsi pontificii? Solum illos male habet innocens illa exclusiva sola, a qua tamen, aut eandem vim habente, non abhorrent literæ sacræ, non patres, non ipsi in agone mortis, utpote tutissimo asylo. Litem intendunt nobis non tam de iis quæ credimus, quam de iis quæ non credimus; unde scopticæ religionem nostram negativam vocant. Sed probe novimus esse quasdam additiones perimentes; æque subjacet maledicto qui addiderit, ac qui subtraxerit. Nos metuimus nobis a fulmine apostolico; metuimus nobis ab interminatione qua obsignatur canon (*d.*); metuimus nobis a sacrilegii reatu, si gloriam Deo debitam demus alteri. Non aliter Deus adoratur quam si solus; non aliter in Christum creditur, quam si in solum, mors ergo in olla religionis Romanæ; sanguineum hoc et tabidum mare, unde quicunque bilit moritur.

Quæritur quænam doctrina sit magis catholica? Vel ipsis judicibus, nonne illa quam ipsi communiter nobiscum tenent? At nos rejicimus eorum assumpta, ut et prior ecclesia. Hinc appareat quam puerilis sit ille *κόκκυσμος*,—‘*Ubivestra ecclesia ante Lutherum? Vix octogenaria est?*’ (*e.*) Respondemus, ecclesiam ante Lutheri tempora esse congeriem heterogeneam, in qua defæcator pars idem depositum custodivit nobiscum, quoad fundamentalia; placita enim scholæ non sunt dogmata fidei, neque unaquæque veritas theologica est de fide; quoad primaria fidei dogmata nobiscum senserunt: religio quædam habet æternitatis, quædam temporis, ut ritus qui variant. Doctrina semel tradita æterna est, et æterna est ecclesia in illa æterna veritate.

A deposito commendato accedo jam ad officium demandatum eustodiendi.

Hic supponenda sunt tria,

1. Ecclesiam non esse dominam, judicem, vel authorem fidei, sed eustodem tantum. Ecclesia οὐκ ἀυθεντεῖ ἀνδρὸς, Dei est deponere, ecclesiæ tantum proponere.

2. Arduam esse depositi custodiam, quam tantopere premit apostolus.

3. Non eandem omnino rationem esse hujus depositi, et aliorum: Hoc enim ita depositum est, ut sit talentum, et Thesaurus, cuius ususfructus noster est, licet dominium sit Christi, et nostro bono apud nos deponitur.

Hic positis, nosse oportet custodiendum esse hoc depositum ex voluntate deponentis, qui depositum hoc, 1. ad cognoscendum; 2. deinde ornandum; 3. augendum; 4. defendendum; 5. communicandum; 6. propagandum.

Primum ergo cognoscendum, quia sapienter nobis credendum est, et rationale obsequium postulat Deus: ut interventu lucis transfunditur calor cælestis, sic mediante luce accenduntur omnes sancti habitus, et dilatationem intellectus sequitur dilatatio voluntatis. Est et quædam obcedentia intellectus, nec permittenda est lascivientibus ingenii licentia quidvis sentiendi; sunt et opinionum monstra: intellectus sponsa est veritatis; et est quædam castitas judicii. Et hic major cura adhibenda est, quia ubi non bene creditur non bene vivitur; vitium primæ concoctionis non corrigitur in secunda. Debole fundamentum fallit opus. Hinc diabolus, princeps tenebrarum, tenebras primo offundit intellectui, ut cum lucem eripuerit ducat quo velit. Ad parandam hanc cognitionem deglutiendus sacer est codex, et in succum et sanguinem convertendus, ut nobis familiaris sit et in numerato, et arma inde ad manum parata. Ad hujus intellectum multæ a theologis traduntur regulæ, partim ad speculationem, partim ad interiorem sensum spectantes. Quod ad theoriam, loca pauciora intelligenda per plura, obscuriora per liquida; verbi causa, si de perseverantia queratur, quorsum attinet vexare locos dubios, cum dicat Johannes, 1 Ep. iii. 9. ‘Qui natus est a Deo non peccat, nec potest,’ &c., multa sunt ejusmodi loca adeo clari ut solis radio scripta videantur. Si quid dubii occurrat, non tam videndum quid in transitu dicat scriptura, quam quid ubi destinato et disertis verbis aliquid profert. Deinde phrasis et dicendi modus observandus est. Instemus in sacramentario negotio, quod multos torsit, unde symbolum pacis factum est Μῆλον Εὐρός. Quidam licet aversentur portentiloquia transubstantiationis, consubstantiationis, volunt tamen Christum adesse in pane, tantum nescire se quo modo. At verba (ut recte Philippus) (*f*) non sunt propter panem, sed propter hominem. Signatum dicitur de signo majoris certiorationis causa, ut non ficte accedentes in possessionem quasi corporis Christi immittat. Ut alia mittam, averruncandæ sunt cupiditates, quæ nubem obducunt intellectui, unde res non καθ' ὑπόστασιν sed κατ' ἐμφασιν videntur. Surdus venter nil audit, cæca ambitio nihil videt in spiritualibus, superbo oculo veritas non videtur; ubi ventris negotium non agitur, aut honori non velificantur, papistæ satis recte sapiunt. Respectus ad terrena, et pruritus ad propria in causa est cur draconis cauda tot stellæ detractæ sunt e cœlo ecclesiæ. Caveamus etiam ne divinam veritatem nostro modulo circumseribamus, ut non aliter verum esse judicemus, quam si nos assequamur; quasi noster intellectus mensura esset judiciorum divinorum. Sunt quædam inaccessa, ad quæ exclamat apostolus, ὁ βάθος! [Rom. xi. 33.] Sed quibusdam D. Paulo acutioribus hæc vadosa et pervia sunt. Cur hunc non illum eligit Deus, in causa est, quia præviderat hunc non illum crediturum; quasi præviderit aliquid Deus quod non decreverat dare, qui author totius entis et in natura et in gratia. Hinc tot quasi de cœlo tacta, et syderata ingenia, quæ in arcum audacius quam fælicius intropicere gestiunt. Est quædam lux quæ fulgoris instar terret, et occæcat, non dirigit et illustrat. Sed optimum ad Scripturam intelligendam compendium est pietas. Ergo et sensu opus est ad intelligendum depositum. Aliter intelligit ægrotus quid sit morbus, aliter medicus ex scriptis. Aliter novit

transmarinas regiones qui ἀντίπτης videntur, quam qui in tabulis tantum geographicis. Sentitur res cuius virtus cognoscitur; vita spiritualis ut et naturalis gustu ducitur. Non patitur promissa evangelica sibi eripi qui dulcedinem eorum degustavit: ut Petrus cum vim verborum Christi in intimis precordiis sensisset, statim clamat, ‘Domine quo abirem? tu verba vitae aeternae habes,’ Joh. vi. 68. Ad sensum necessaria crux est tentatio; mysterium enim crucis sine cruce non intelligitur; voluptatibus ebrii, stupidi sunt, nec gustum ullum veri boni habent, quia, ut loquitur Augustinus, deest iis spirituale palatum. Horum judicium nullum est praegudium in rebus a sensu remotis. Ad sensum etiam conduceit particularis fiducia, cuius est promissa, οἰοποιεῖσθαι ut peculium et patrimonium nostrum.

Multa etiam intelliguntur in ipsis exercitiis pietatis; quid sit amare et credere, soli amantes et credentes intelligunt. Hinc illud apostoli ad Timotheum, ‘Exerce te ad pietatem,’ 1 Ep. iv. 7. Sed hic ante omnia necessarium est subsidium a Spiritu sancto, qui velum tollat a cordibus; alias res divinas tantum intelligimus humano modo, et non in sua propria luce. Nihil homini impuro cum sacrosancto hoc deposito, nisi mentem purgaverit Spiritus. Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit. Ubi Spiritus non domat insitam contumaciam, veritas saepe in rabiem agit homines.

2. Nec tantum intelligendum proponitur hoc depositum, sed et ornandum; non enim hic est ut in mathematicis principiis, quorum finis est nuda speculatio; ornabimus autem si totum hoc depositum, et solum custodiamus. Nam Deo in totum hominem jus est. Anima debet esse instar arcæ in qua positæ sunt tabulae Testamenti, et unaquæque facultas instar arcuæ; memoria sit instar urnæ in qua custoditur manna, sit Thesaurus hujus Thesauri: hinc eat in voluntatem, affectus, et in totum hominem. Theologia præcipue versatur circa voluntatem et affectus dirigendos, unde boni vel mali dicimus, non a cognitione. Retinendum ergo depositum est in medio cordis ut in propria sua sede. Sit σύμφυτος λόγος, intimis affectibus insitus, ut surculus vertens nos in suam naturam; ut omnia dicta, facta, cogitata sapiant depositam veritatem. Sit in deliciis ad admirationem usque. Sapientis est alias res non admirari, at hic solius sapientis est mirari (*g*). Vas et theca hujus pretiosi depositi est bona conscientia, honestum cor, cui fixum, et in proposito cordis est tradere se in typum verbi fingendum et formandum. Dedignatur haec sacra veritas sui copiam facere nisi illis qui se totos illi in obsequium tradiderint: ea lege custoditur, si regnet, et a consiliis nobis sit in omnibus. Datur enim non ad ostentationem scientiæ, sed ad regulam vitae. Sic ornabimus depositum. Vomicae sunt et dehonesta relata religionis qui sub forma ejus vim abnegant, quorum culpa fit ut religio male audiat. Perinde Sathanæ sive male vivat quis, sive male credit; profanus vivit contra fidem, hereticus credit contra fidem; uterque damnandus. Excusati peccant qui nunquam de evangelio audierunt: nos tanto deteriores quanto meliores esse debebamus; et deterior conditio spretæ, quam non agnitiæ veritatis.

Ut a totis, sic totum servandum est, quia totum utile, et est ea parte ἀλληλουχία: ita apta omnia in theologia et connexa sunt, ut quemadmodum in arcuatis forniciis si vel unus laxetur lapis, tota ruit compages: sic in fide integritas totius pendet ab integritate partium. Hinc illud, fides non elit objectum, sed fertur in omne revelatum. Ut totum sic et solum servandum est in negotio fidei. Nil ultra scire est omnia scire, et ut Tertullianus, cum credimus, hoc credimus, nihil esse quod ultra credamus (*h*).

3. Deinde requiritur ad custodiam depositi, ut proficiamus in fide; pro-

ficiat fides, non mutetur, ut *Vincētius Lyrinensis*. Prodigiosum est si plura sint membra, non si explicentur et crescant; idem senex qui et puer; illustrare licet depositum, non alia pro aliis subjicere, et nove, non nova. Angustiora sunt vasa nostra quam ut capiant plenitudinem illius depositi, unde locus est perpetuo profectui; et paulatim superande difficultates, donec adolescamus in virum perfectum. Alia ratio theologiae in idea, alia in subjecto, hic semper imperfecta: unde *Bernardus*, ‘*Si dixeris, Sufficit, peristi.*’ Tepidi sunt qui dicunt, Nolumus majoribus nostris esse meilleores.

4. Defendendum est hoc depositum, partim a calumnia, partim a sophisticis argutiis; et primo vindicandum a calumniis est, quia hypocritæ causam Dei deformant, et devenstant mendaciis, ne aliter sine causa sensisse videantur. Nil tam veretur veritas quam ne ignota damnetur; vindicia ergo hic necessarie. Contra eos etiam qui rationibus oppugnant defendendum, contendendum est pro fide semel data, nec dicendum tantum de veritate, sed pro veritate; utendum sinistra æque ac dextra: multis melior dextra quam sinistra, melius oppugnant aliena, quam defendant sua: est et præclarum certamen æque ac præclarum depositum. Isaaci servi contendunt de puteis, multo magis nobis de vita fonte etiam ad sanguinem resistendum. Noluit David bibere de aqua Bethleemitica quam cum periculo vita heroes attulerant, quia sanguis illorum fuit; magni ergo aestimandus sanguis coram domino est pro domino effusus. Veritas hæc ipse est sanguis martyrum (*i*): sed et hic cendum est ne adversarios suis ipsorum telis petamus, non eget tali defensione causa Christi; depositum hoc armamentarium est, ex se suppeditat tela. Sint adversariis piaæ fraudes, pia convitia, ἐξουθενισμοὶ, veros authores castrent, depravent, falsos supponant, certissimo indicio deploratae causæ. Non veretur *Sixtus Senensis* laudare superstitionis illud silicernium, *Pium Quintum*, quod indicibus expurgatoriis locum dederit. Possevino (*j*) etiam hæc in re plus oris est, minus mentis; nos ut causa, sic et agendi modo vineamus, et vicimus sane. Illi enim solis Sathanæ artibus instructi nos adoriuntur, nec aliis nutabundus papismus fulcit tibicinibus. Sed veritas non eget vanitatem ad sui subsidium.

Quod ad fratres nonnihil dissentientes attinet, optandum est, ut coalefieremus, ut junctis viribus hostes oppugnaremus. Inter regia Jacobi regis κατορθώματα et hoc censemendum, quod præcipitem contentionis rotam Synodo suflaminare conatus est (*k*). Cui (licet ab aliis indictæ) momentum addidit tanti regis authoritas. Cui pacis consilio si successus non responderit, in causa est quorundam intemperies, quibus nihil gratum nisi quod suum; quibus cordi est ut sint unguis in ulcere. Inter beatam illam animam Philippum et Calvinum pia et ecclesiæ utilis intercessit concordia, licet in nonnullis dissenserint. Inter Dei servos (ut ait Ambrosius) collatio sit, non contentio; contentionibus enim impeditur invocatio, distrahitur affectus et studia, aluntur suspiciones, quibus alter alteri redditur inutilis; et quod sanguineis lachrymis deplorandum esset, multi non mali alienantur ab ecclesiis nostris, saeque impietati hoc pretextunt ἀθεοί; et in his paroxysmis omnia plerunque augmentur in majus; et certe alterationibus raro queritur veritas, saepe amittitur, semper periclitatur. Et fere aliquid vitii adjunctum habet etiam justa defensio; humani enim aliquid patiuntur saepe viri optimi. Non est tamen redimenda pax veritatis jactura, quæ nobis omnibus charitatibus pretiosior esse debet; nec ea lege indulgenda est errantibus quam petunt tolerantia, ut liceat iis spargere sua dogmata, nobis interim silentibus. Intrepide hic explicanda sententia est, error enim cui non resistitur approbatur.

Interim hoc concedendum est paci ecclesiæ, ut sine felle feramus privatim dissentientes, paratos cedere meliora docentibus, dum sibi tantum sapiunt. Si qui autem sint dolosi operarii, qui prætextu nescio cujus moderationis veritatem actis cuniculis subruere conantur, et miscellam quandam religionem ex adulterio veritatis conflare molliuntur, his quantum in nobis est nullus locus est dandus. Deformem hanc claudicationem ferre non potest Deus, ut qui non vult homines de alieno, multo minus de divino esse liberales. Malefida semper fuit religionum ferruminatio, et prævia publicis calamitatibus. Periculose ergo suadetur inter nos et pontificios unio, non obstante tanto hiatu; castam Christi sponsam decet casta concordia.

Facit et hoc ad defensionem depositi, ut veritas muniatur adversus scandala; commodis ergo verbis explicanda veritas, et a crudis maleque sonantibus sententiis abstinendum, quantum sine veritatis præjudicio fieri potest. Non est enim deserenda veritas propter scandala. Odium faciunt quidam causæ bonæ verbo non bono, *irresistibilis*; vox etiam physicae actionis quibusdam cætera orthodoxis, ut horridius quidem sonans, non satis placet. Sed modo constet de re ipsa, in verbis difficiles esse non decet, et hæc explicatione molliuntur. Nec patiendum ut contemptim loquantur homines de iis quorum opera usus est Deus in restituendo deposito. Apud Deum sit in benedictione, apud nos in honore nomen eorum. Sunt qui fidem nostram sannis adversariorum exposuerunt, dum mittunt εἰς οὐρανούς homines rectius se sentientes. Hinc pontificii, En quos correctores antiquitatis, quos reformatores habuit Ecclesia Anglicana! Quorum nominibus parco; interim in nullius verba ita jurandum, ut singula præstems quæ dixerint. Novimus enim magnis luminaribus suas esse eclipses, ne cuiquam nimis addicti essemus. In prima eva ecclesia προσωποληψίᾳ induxit προσωπολατρίαν, illa mortuorum ἀγιολατρίαν, hæc εἰδωλολατρίαν; ut nullus terminus falso est. Cautio ergo hic adhibenda est et candor; cautio, ne nimio vini amore feces bibamus; candor, ut euique suus constet honos.

5. Insuper et hoc depositum communicandum est; talentum enim est quod tum custoditur cum aliorum usui impenditur. Custodimus etiam cum non custodimus. Non producimur in hanc scenam ut simus κώφα πρόσωπα, ut speculationibus indulgeamus; ut condi simus tantum, non promi, ut conchæ, non canales: maledictus qui abscondit frumentum; et fælices nos quorum opera uti dignatur Deus in vinea sua, quod non simus rejicula turba, fracta, et inutilia instrumenta, sed quorum industriam in alto loco posuerit Deus. Fatendum quidem est nonnihil diminutum a majestate theologie præpopera quorundam praxi, sed hoc faciat ad excitandam aliorum industriam. Tacerent forsitan graculi si canerent cygni. Cuique suum σιτομέτριον distribuendum est. Thesis ad hypothesis aptanda. Non tantum ad ministrum spectat ὁρθοποδεῖν, sed et ὁρθομεῖν. Nostrum est explicare divitias Christi, ut quanta habeat sponsa Christi in Christo, quantum fulget mariti sui radiis intelligat.

6. Propagandum etiam est. Hinc illud ad Timotheum suum, 2 Ep. ii. 2. ‘Quæ audisti a me commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alias docere.’ Vos qui præstis studiis adolescentum, et bene natis ingenii dominamini, instillate in dicata Christo pectora hujus amorem depositi; magnas familias pessundabit neglecta prima institutio. Indocti enim tibiarum similes nihil sonant nisi ab aliis inflati; et videndum ne qui formant aliorum studia imbuant eos odio optimorum et hominum et rerum. Maltincta enim ingenia ut nigra lanarum nullum alium colorem imbibunt. Juventus est purissima pars ecclesiæ, et primitiæ spiritus sunt suaviores et

fervidiores. Hinc est quod his præcipue insidietur Sathan, ut sibi in posterum reddat obnoxios. Foveamus ergo adolescentum studia, ne quod apes capere oportet fuci intercipient. Nemini fraudi aut damno sit pietati fuisse addictiorem; quid enim aliud hoc est quam Christum infantem in juvenum cordibus, Herodis instar, occidere? Hisce omnibus adminicula sunt matricum linguarum, artiumque scientia; una cum sacra doctrina sacræ etiam linguae restitutæ sunt; frangenda enim nux ei qui nucleum edere vult. Nec ulla ars est quæ non ancillarem operam præstat huic dominae, nec elegantem respuit theologia literaturam; Spiritus sanctus mundus est, aversatur sordes, etiam has literarum et sermonis. Cum Christus venit in mundum politior literatura in suo solsticio erat; florebant tum ingeniorum apices. At cum antichristus erat in sua auge et zenith, barbaries regnabat in scholis, qua e solio suo deturbata, religionis, literarum, linguarumque simul erat παλιγγενεσία. Spissa errorum caligine discussa, suus et literis redditus nitor. Et sane logicis rhetoricasque lacertis vibrata theologica tela fortius feriunt, altius penetrant; multum refert quo brachio hasta torqueatur. Nec neglectim habenda philosophia; si enim ad illius appellemus tribunal, stare non possunt nupera illa dogmata de media scientia, et de prævisa fide, quæ tollunt dependentiam causarum inferiorum a prima, quæ intimius agit in iis quam ipse. Unde Jesuitæ non aliter sua probare possunt dogmata, quam si novam cudent philosophiam. Sed artium encomia suis prælectoribus relinquimus. Imprimis autem utile erit cognoscere quodnam fuerit in singulis ætatibus hujus depositi fatum, quinam adversarii, a quibus intercessum, quomodo a prima veritate deflexum sit; quam sinuosi haeresium anfractus. Magdeburgensis hic elaboravit industria, magnum quid hic præstítit ecclesiasticorum annalium consarcinat, in quo major industria laus quam fidei, fidei quam judicii. Huic mos est (ut observat Wintonensis) (*l*) ut si quid non sit ad stomachum, vel eradat ex historiis, vel arrodat in historia, alias non malus si nou omnia torsisset ad statuminandam Romanam monarchiam (*m*). Ad historiam redeo; in qua, ut observat Rhenanus (*n*), plurimum sibi induxit antiquitas, dum formam vite delineare cupiebat. Non diu mansit ecclesia virgo; sed attentarunt Christi sponsæ pudicitiam haeretici, qui ex pastoribus facti lupi. Alia et alia ecclesiæ facies, prout major vel minor cura hujus depositi, et suus cuique seculo genius; hoc autem omnibus commune, quod neglectis fontibus cumularunt ridiculas ceremonias, de quo conquestus Augustinus, aiens, tolerabilorem fuisse Judæorum conditionem: si tuo tempore sic dolebas (O bone Augustine) quid nostra tempestate dixisses? inquit Gerson. Auream illam apostolorum ætatem excepit argentea, illam secuta est ferrea. Nonum et decimum seculum fere exhaustum bonis literis et viris. Decimum seculum produxit nobis scholasticos, pugnaces homines, qui rixatricem induxerunt theogiam, et seposito hoc deposito Lombardi racemationes substituerunt (*o*) (*p*). Fuerunt hi (ut tempora tunc erant) docti et ingeniosi homines, sed depositum miscuerunt argutis philosophicis, et quæstionum minutis rerum fregerunt pondera. Nimia sublimitas infesta veritati est, ut virtuti. Aranearum telis quid subtilius, quid inutilius? Non desunt tamen ex illis qui Augustinum sequuntur, qui satis recte sapiunt, inter reliquos Georgius Ariminensis (*q*), magnus gratiae patronus. Quia nobis negotium est cum papistis, quibus patriarchæ scholastici, qui nomen theologi tueri vult, non debet esse omnino hospes in schola; sed male primo ablegant studiosos ad scholasticos, cum longe plus sit spiritus theologicæ et apostolicæ in patribus vel ultimæ antiquitatis. Hoe in illis laudibile est, quod missis laciniosis et inerticibus declamationibus, stringunt res. Utile erit ḥποτυπώσει aliqua

sanorum verborum, tanquam saburra librare et solidare judicium, priusquam solvamus in oceanum authorum ; alias misere fluctuabimus.

Tandem ecclesiæ suæ misertus Deus excitavit heroas qui religionem reformarunt, non formarunt ; idem speculum detersum pulvere quod et ante, sed nitidius. Postquam autem a papatu secessimus, quidam e nostris damnatas ab ecclesia veteri opiniones recixerunt, quibus si Augustinum præferamus, non habent quod ægre ferant. Scripsit historiam Pelagianam post Latium (*r*) Vossius (*s*), sed partibus addictior, alias vir doctus et modestus, nimis multa haurit a Jesuitis, aliisque non optimis fidei authoribus : singularē (*t*) hæreses suas habent historias, quas non inconsultum esset contexere. Harum indago difficilis, quia dum dormierunt agricolæ, sparsa sunt zizania ; et verecunda, ut vitiorum, sic errorum initia ; ut liquet si singulorum errorum census habeatur. Cuneis in hoc non dissimiles, qui tenues primo lignis impacti locum faciunt crassioribus, donec paulatim fissum dissiliat lignum. Error errori viam struit ; sed ut et errorum natales ignoti fuerint, satis tamen est ut si cum fide semel data non consentiunt, pro damnatis habeantur. E re etiam erit observare quodnam in pravis dogmatibus, περὶ ψεῦδος unde alia fluunt. Ut ecclesiam, *i. e.* papam non posse errare ; quod non solum error, sed errandi principium, unde jus cuivis errori. Hoc intuitu vitium non erit vitium, proditio non proditio. Audite Bellarminum ; ‘Si papa erraret prohibendo virtutes, præcipiendo vitia, teneretur ecclesia credere virtia esse bona, virtutes esse malas,’ &c (*u*). Quid est contra Deum, contra naturam, contra veritatem bellum gerere, si hoc non est ? Quasi veritas non in rebus ipsis sed in opinione sita esset. At ἀισχρὸν ἀισχρὸν κακὸν δοκῆν κακὸν μὴ δοκῆν, hoc est terminos a Deo positos mutare, qui aeternum divorcium posuit inter lucem et tenebras, bonum et malum. Sic aiunt ; concupiscentiam Adamo fuisse naturalem, tantum fræno originalis justitiae cohabitam. Hinc post baptismum non tam habere rationem culpæ quam peccati. Quorsum hoc, nisi ut inferant, non obstante concupiscentia legem posse impleri, operibus nos justificari, mereri, supererogare (*v*) ? Unde indulgentiæ, purgatorium, et quid non.

His positis, ostendamus jam paucis, quo affectu et conatu custodiendum sit hoc depositum.

1. Sancte habenda est haec sacrosancta fides : area minus reverenter excepta multas clades intulit ; sunt qui in hoc deposito ludos sibi faciunt.

2. Sincere. Aurum acceperimus, aurum reddamus, non superstruendæ stipulæ aut fænum ; nec scenæ serviendum. Infernum suum circumferunt, qui depositum hoc ad aliorum libidinem inflectunt. Non miſcendo nostros affectus cum sacro hoc deposito ; quod fecisse quibusdam morituris tormento fuit. Augustinus suo tempore questus est, vix queri Jesum, propter Jesum ; quæ utinam querela nostro tempore locum non haberet.

3. Constanter etiam adhaerescendum ; parum est verbis et calumniis peti, ne vita quidem contra hoc depositum chara est ; omnia patiamur ne quid patiatur depositum ; quo amissio ut alia omnia possideremus, tamen miseri sumus. Apostatarum princeps Sathanas conatur omnes eadem ruina involvere ; non desinit (inquit Cyprianus) perditos perdere.

Cum ebullit aliqua novitas, statim appareat paleæ levitas, et frumenti gravitas ; nam levia et desultoria ingenia cito transferuntur, et semper sunt ancipites temporum palpatores. Vespertilio[n]es in fide, qui nunc in avibus nunc in muribus habentur.

4. Studiose et solicite ; nam id nunc verum est quod olim questus Hilarius, ingeniosam rem esse nunc esse Christianum ; sola innocentia non satis tuti sumus (*w*). Ne ergo securis nobis elabi, aut invitis eripi depositum

catiamur. Omnia sunt latronibus infesta, et invasori Sathanæ fere una pura ut Thesauro hoc nos spoliet; non prævaluuit ejus malitia, quo minus elucesceret sacra veritas; at si effecerit ut non custodiamus, hoc ei satis erit. Cavendum hic et a vivis et a mortuis impostoribus, vix hic cavet etiam qui cavet. Ait Plinius, scorpium caudam subinde ad lapides acuere ne desit occasione; sic adversarii nostri intenti sunt omnibus occasionibus; an nos stertemus? An acrius illi ad perniciem, quam nos ad salutem? Judas (ut dicitur) non dormit.

1. Restat jam ut ad argumenta moventia accedam; primo depositum est. In depositario requiritur ut fidelis sit. Mutua est obligatio depositi inter Deum et nos; ille penes nos depositam suam veritatem voluit; nos item nosmetipsos, salutem nostram, et coronam apud eum deponimus? At qua fiducia pendebimus ab ejus fide, si nos pròditores depositi fuerimus? Si depositum hoc nostra culpa detritum, mutilatum fuerit, actio malæ fidei in nos competit. Apud homines turpe est eos fallere qui nisi nobis credidissent non fallerentur.

2. Secundo, præclarum hoc est depositum, eminenter bonum. Ita a Deo facti sumus, ut præclaris moveamur: τὸ καλὸν καλεῖ, evocat ad sui amorem vi quadam magnetica. Bonum est unde nos ipsi boni; unde maxima nobis et offeruntur, et exhibentur bona; unde communio nobis intercedit cum summo bono. Hinc Deum alloquimur, et suis promissis luctamur cum eo. Hinc Sathanam in fugam damus; ortu, forma, materia divinum est, usu salutiferum, effectis mirandum. Hinc enim visus cœcis, vita mortuis, ab inferis erutos in cœlo ponit: sanctitate authorem refert, mysterio profundum, majestate gloriosum, unde nos transmutamur a gloria in gloriam; duratione æternum, unde nos æterni sumus, et æterna nobis bona legantur. Absque hoc deposito esset quam atra nox (*x*) incumberet animis nostris? Quanta opinionum divertia, et confusio? Quam inermes essemus in medio cingentium hostium? Hic ipsius Dei non os tantum apertum audimus, sed mentem etiam nudatam cernimus. His qui non movetur ignorat τὸ τοῦ καλοῦ καλὸν. Vilis ei salus cui depositum hoc vilc. Quomodo evademus (inquit apostolus) si neglexerimus tantam salutem? Hoc depositum est in quo prærogativam sibi vendicat ecclesia. Non sic omni nationi.

Habita semper est haec academia custos depositi. Beda et Alcuinus nostri erant, Augustini doctrinam amplexi; pluris apud nos sit majorum nostrorum authoritas quam nescio quorum turbatorum vicinarum ecclesiarum. Hoc ad decus gloriosum, ad conscientiam pium, ad fructum utile, ad eventum tutum fuerit, si hanc nobis gloriam constantem esse velimus. Depositum hoc verum palladium est, quo in tuto nos tuti; unica averruncandorum imminentium malorum ratio, custodia depositi. Circumspiciamus regiones circumiacentes, Eamus ad Siloh, ut loquitur propheta, videbimus abominationem desolationis ibi erectam ubi pura Christi doctrina sonabat [Jerem. vii. 12]. Gloria eorum discessit ab iis; caveamus ergo ab iis qui doctrinæ formam mutatam vellent. Servat servata fides. Quia custodisti verbum meum, custodiam te, inquit Christus [Joann. xvii. 6]. Non longum vitæ curriculum nobis concessit Deus, quanti erit si morituri cum apostolo dicere possimus, ‘Fidem servavimus, bonum certamen certavimus’ [2 Ep. Tim. iv. 12]. Alia scripta magna pollicentur, sed plus in titulo quam in pyxide; cedit medecina morbo, relinquunt stimulum omnis mali peccatum. Ac docet hoc nostrum depositum exarmata esse omnia mala, et nobis in bonum servire; hinc ergo doceamus, hinc discamus: Felices nos quos ad hæc tempora servavit

Deus ! Quidam iniquissimi rerum aestimatores contemnunt lucem nunc divinitus accensam, digni quorum ingrata superbia conspuantur. Inhaereamus huic deposito, tum minor sensus praesentium malorum, dum a sacris cogitationibus nos avelli non patimur, terrena omnia ut infra nos posita cernimus ; calamitates adversus pectus hoc deposito munitum nihil possunt.

At non est nostrarum virium in tanta mentium caligine, tanta infirmitate, tanta mole impedimentorum, tanto Sathanæ furore et malitia, et ministrorum ejus versutia ac numero, custodire depositum. Certe non est, et expedit hoc scire quod non sit, ut nobis diffisi toti aliunde pendeamus. Addit ergo per Spiritum sanctum quo uncti omnia scimus, omnia possumus, omnia vincimus ; omnia Spiritui prona cedunt. Quæ ut liquidius constent, sciendum est, omnia a divina natura proficiisci mediantibus personis, et inter personas, a Patre, in Filio, per Spiritum sanctum, qui ut substancialis amor et vigor ab utroque procedit. Hic Spiritus est vinculum unionis, deinde communionis inter nos et Christum, in quo, ut primo amabilis fundatur Dei in nos amor ; unde Spiritus primo in Christo requiescit, tum in nobis, ut unguentum in caput Aaronis effusum usque ad oram vestium ejus descendit : praesentia autem hæc spiritus in Christo non est hypostatica, sed mystica, ipsius personæ Spiritus, licet non personalis ; eodemque modo in Christo est ac in nobis, servata capitatis prærogativa. Sed quomodo Spiritus in Christo et nobis ? Respondeo, mysterium hoc magnum est ; hic valet illud Durandi, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus ; habitat ergo in nobis Spiritus ; pulsat quidem corda aliorum, sed non habitat in iis. De Spiritu Christi solum vivit corpus Christi, inquit Augustinus (*y*). Nec nudus venit in nos, sed omnium gratiarum satellitio stipatus, unde gratiarum nomen a Spiritu, cuius fructus sunt. Quoad inferiora quædam dona Spiritus sanctus est in multis, sed qua sanctificans, in solo corpore mystico, cuius solius est servator ; ut anima est in toto corpore, sed prout ratiocinatur, in arce capitatis sedem fibi figit. Non diversatur utabiturus, sed habitat ; nec unquam destituit nos, ne in sepulchro quidem cineres nostros, donec deduxerit (ut angelus ille in deserto) ad cælestem Canaan. Non est corpus Christi quod non erit] cum eo in æternum. Hinc recte Irenæus, Templum Dei non participare salutem quomodo non maxima blasphemia est ? Nec circa nos, aut cum nobis habitat, sed in nobis, praesentia operosissima et efficacissima, sed (ut loquuntur) modificata, et attemperata ad modum nostrum. Et per modum voluntarii agentis, nec agentis tantum, sed et regentis, vincentis, et tandem triumphantis, cum erit omnia in omnibus, et ipsum corpus reddatur spirituale. Stupenda dignatio ! Spiritum sacrosanctum velle inter medias sordes et inimicitias sedem suam figere, ubi delicietur, *κειμήλα* sua reponat, secreta revelet.

Ut in nobis, et solis, sic in singulis habitat. Unde Paulus (non habitantem in me sed) in nobis. Quia Spiritus est commune vinculum inter nos et caput, et omnia membra. Ut idem spiritus qui est in organis pneumaticis, est et in singulis fistulis, sed modulus est varius ; sic idem Spiritus non pari modo dilatat se in omnibus, sed fortis in Paulo, fervidus in Petro, sublimis in Johanne, sanctus in Davide, sed idem in omnibus, pro mensura donationis Christi.

Cæterum triplex hic notanda *συζυγία*. 1. Inter Spiritum et depositum ; 2. Inter Spiritum et nos custodientes ; 3. Inter mandatum et vires subministratas.

1. Inter Spiritum et depositum. Verbum est vehiculum Spiritus, Spiritus anima verbi. Spiritus inspirat verbum, et ab eodem Spiritu custoditur. Talis inter venas et arterias est *συζυγία* ; spiritus in arteriis fovet sanguinem

in venis, sanguis in venis alit spiritum in arteriis. Hinc respondetur ad illa quæsita, quænam est formalis ratio credendi verbum esse verbum Dei? Respondemus, autoritatem divinam in verbo se Spiritui in nobis ingerentem. Sed unde judicium fit de hoc Spiritu? Si a verbo ad verbum nos ducat. Spiritus enim officium est ducere nos in omnem veritatem. Hinc dicitur Spiritus veritatis quam obsignat in cordibus nostris; non credendum ergo est spiritui qui abducit a deposito ad humana commenta (z).

2. Συζυγία inter nos et Spiritum. Nos custodimus, sed per Spiritum qui agit primo in nobis, tunc per nos; nos credimus, sed Spiritus aperit eorū; nos audimus, sed Spiritus aperit aures; nos loquimur, sed Spiritus aperit os; facimus, sed facit Spiritus ut faciamus; agimus, sed acti; sequimur, sed tracti; movemus, sed moti, ut orbes inferiores moventur a primo motore.

Nec offert Spiritus sanctus gratiam si velimus, sed inspirat ut velimus. Ipsa potestas, ipsa voluntas, ipsa actio custodiendi est a Spiritu, qui movet et applicat ad agendum, sustentat in agendo, removet impedimenta, et promovet ad eum gradum ad quem visum est ei nos perducere. Recte Augustinus, A nobis custodimur, sed non de nobis; liberi sumus, sed in quantum liberati; domini sumus actionum nostrarum, sed sub domino; non tam ἀντεξόνσιοι quam ὑπεξόνσιοι; subordinatio hic, non coordinatio. Nec ulla libertatis hic læsio, quia ut fortiter in nobis agit Spiritus, sic suaviter, salvo nostro agendi modo. Prævium enim semper est mentis judicium. Non ergo laborandum tantum est nobis, sed et orandum; non innitendum (*aa*) tantum, sed et Spiritui innitendum, fustra enim (ut pulchre Bernardus) nititur qui non innititur.

3. Συζυγία inter mandatum evangelicum et vires simul administratas. Custodi, sed per Spiritum; Spiritus indit vires, jubet, sed juvat; operativa enim sunt verba, ut in creatione *fiat et fuit*. Sed hoc in fœderatis tantum; nec aliis tamen mandando illuditur, quia vellicat eorum conscientias; elicit contumaciam, ut quodammodo convicti sint, licet non victi. Vocat eos Deus, et provocat ulterius quam ipsi vellent. Quomodo alias resisterent Spiritui sancto nisi ei reniterentur ad altiora ducenti? Sed potuit Deus tollere hanc contumaciam; recte, volenti enim hominem salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium, ut Augustinus. Cur ergo non tollit? Tu quis homo? Salva maneat summo regi sua prærogativa. Non ergo sequitur ratio a mandato ad vires nostras, sed ad vires a Spiritu sancto suppeditatas. Agit Deus nobiscum per modum collationis, loquitur ad modum nostrum, sed agit ad modum suum; humanitus loquitur, sed divinitus operatur, et dum vocat omnes, per Spiritum evocat suos. Ne ergo queramus subsidium desidiae ab infirmitate nostra, quia dabit Spiritum sanctum petentibus. Rogandus, flagitandus ergo Deus, ut Spiritus sui luce nos dirigat, virtute fulciat, solatio erigat, robore sustentet. Apostolis, cum pericula ingravescerent, crevit animus, sufficiente illis invictum adversus omnia robur Spiritu sancto, ut flores pluvia decidui flaccescunt, donec solis radiis erigantur; idem nos patimur si Spiritus non asfulgeat. Ut Sampson rasa cæsarie nihil aliis validior, sic nos, nisi Spiritus moneat, moveat, removeat impedimenta, et ad summum gradum paulatim promoveat. Spiritus hic petentibus promittitur, obedientibus datur, a non resistantibus et extinguentibus custoditur. Agite ergo; quid resistamus? quid causemur? vela pandamus huic Spiritu. Aperiamus portas nostras huic regi; animorum nostrorum ædes vacivas faciamus huic hospiti. Et O felices nos tali hospite! ut rationalis hic spiritus statuit nos in creaturarum ordine supra animalia quæ in ventrem prona finxit Deus; sic Spiritus hic sanctus nos supra vulgarem hominum censem elevat. Christi spiritu imbutus sublimius

quiddam est quam reliqui homines. Omnia infra se videt, utpote quæ nihil juris habeant in spiritum. Quicquid ab orbe condito heroicum, et supra modum humanum, id totum ab hoc Spiritu. Christiani hoc munimentum habentes in pectore, adversus omnia mala intrepidi steterunt.

Ut omnia contrahamus; depositum hoc præclarum a Christo nobis relatum, ab apostolis traditum, a patribus per omnium seculorum memoriam propagatum, a majoribus nostris de manu in manum transmissum, sanguine tot martyrum obsignatum, principum authoritate firmatum, legibus munitum, divinitus defensum, omni modo commendatissimum, tueamur ipsi, ut et preciosissimum thesaurum posteris relinquamus. Debemus hoc (academicici) Christo, debemus ecclesiae Christi sponsæ, debemus matri academiæ, debemus hoc piæ juventuti indies hic succrescenti. Quorsum academia, quorsum tot indulta privilegia, et præclare fundata collegia, nisi ut hic felicia alantur ingenia in spem ecclesiæ? Nisi ut iis studeamus in terris quorum fructus nos manet in cœlo? Hoc ergo unum agamus, in hoc simus nos, qui sacræ huic militie nomina dedimus; ut pectora nostra hoc deposito locupletemus ipsi, et deinde stillemus ut ros super sitibundas populi mentes. Πάρεγγα nobis ne sint ἔργα, summæ enim infelicitatis est (ut bene philosophus) singula speculari. Cæteris suus locus et ordo sit, sed suus. Formicas dicunt eandem terere semitam, sic et nos. Sæpe obversetur nobis depositi hujus dignitas, mandati gravitas, et ad promovendum omnem pium conatum paratæ, Spiritus sancti suppetiæ, qui cum Spiritus veritatis sit, veritatis assertores non destituet. Dicamus cum Nazianzeno, τὰ ἐμαυτὸν καὶ τὸν ἐμαυτὸν διδωμι τῷ πνέυματι, μόνον ἀγέτω καὶ κινέτω, &c. (bb). Divinum, inquit, sum instrumentum, a divino musico pulsandum; videamusque nobis sæpe audire Sanctum Paulum hæc verba auribus nostris ingerentem, ‘Custodite præclarum depositum per Spiritum sanctum habitantem in nobis.’

NOTES.

- (a) P. 548.—Bellarmius. Cf. Opera, ‘Traditiones,’ in Indic. (b) P. 548.—Hieronimus, *i. e.* St Jerome. The reference is to his ‘Contra Helvidium de B. Mariæ Virginitate,’ &c. (c) P. 550.—Lactantius. Cf. his ‘De Mortibus Persecutorum.’ (d) P. 550.—Apocalypse xxii. 19. (e) P. 550.—‘Ubi vestra,’ &c. Cf. note *ss*, Vol. III. page 536. (f) P. 551.—Philippus, *i. e.* as onward, Philip Melanethon. (g) P. 552.—‘Nil admirari,’ &c. The allusion is no doubt to the ‘Nil admirari, &c., of Horace, for which see note *h*, Vol. II. p. 518. (h) P. 553.—Tertullianus. Cf. ‘Apologia,’ under *fides*. (i) P. 553.—‘Sanguis martyrum.’ Cf. note *m*, Vol. III. p. 530. (j) P. 553.—Qu. Possevinus? *i. e.* Antonius Possevinus, a learned Jesuit and theological writer. Died 1611. (k) P. 553.—Synod, *i. e.* of Dort. (l) P. 555.—Winton, *i. e.* Bishop Andrewes. (m) P. 555.—History, *i. e.* Baronius. (n) P. 555.—Rhenanus. Misprinted Rhevanus. (o) P. 555.—‘Substituerunt.’ Misprinted ‘substituerint.’ (p) P. 555.—Lombard. That is, the great ‘Master of the Sentences.’ (q) P. 556.—Georgius Ariminensis. That is, George Amira, a famous Maronite. (r) P. 556.—Latius, *i. e.*, Joh. Latius, author of ‘Comm de Pelagianis et Semipelagianis.’ 1617. (s) P. 556.—Vossius, *i. e.* probably the famous scholar and critic, who must not be confounded with the Socinian, if not atheistic, canon of Windsor, Isaac, his son. (t) P. 556.—‘Singulæ.’ Misprinted ‘singulas.’ (u) P. 556.—Bellarmius. Cf. note *g*, Vol. I. p. 313. (v) P. 556.—‘Supererogare.’ Misprinted ‘supererogare.’ (w) P. 557.—Hilarius. Cf. note *l*, Vol. IV. p. 305. (x) P. 557.—‘Nox quæ.’ The ‘quæ’ dropped out. (y) P. 558.—Augustinus. Cf. note *hhhh*, Vol. III. p. 537. (z) P. 559.—‘Veritatem.’ Some lines here have been ‘broken up’ in the original edition. They are restored conjecturally. (aa) P. 559.—‘Non innitendum.’ Query, Non intendum? (bb) P. 560.—Nazianzen. Cf. note *g*, Vol. V. p. 455.